


**05**

**A**

**1431**







0

EXAMINATIONES  
MORALIS

PARTE II

ARTICULUS I



05 A 1437

DR. M. MICHAELIS WALTHERI

CHRISTOPHORI WALTHERI

ff. 11. v. 3


Fragment of text from the adjacent page, including words like 'ca', 'a', 'm', 'o', 'li', 'd', 'in', 'p', 'a', 't', 'p', 'fi', 'p', 'a'.





A. & Ω.

## PRÆLOQUIUM.

 *Um difficile admodum sit, tam  
varias & mutabiles hominum actiones  
uno intuitu dispicere, & certi quid de iis-  
dem pronunciare, compendiosior quæren-  
da erit ratio, quàm expeditum illud ipsum  
reddere quæamus. Id quod autem me-  
lius effici posse haud confido, quàm si ipsa a-  
ctionum principia accuratius paululum attendamus, similes illis,  
qui fluvii cujusdam desiderantes ortum, ad primos recurrunt  
fontes. His enim principiis rectè cognitis, facile constabit de  
cujuslibet actionibus, an laudem eæ, an vituperium mereantur,  
an, impetu & casu delinquentibus, venia danda, an contra, ex  
crassa & affectata quâdam ignorantia peccantibus, sit decer-  
renda pœna. Quod verò iis, qui fluviorum investigaturi sunt  
ortum, accidere videmus, idem & hic nobis metuendum. Illi,  
licet ad primos tandem pervenerint fontes, novam tamen & ar-  
duam admodum offendunt difficultatem. Non enim primas, quæ  
in oculos incurrunt, credas esse aquas, cum in lucem adeò non ex-  
ponat cuiuslibet natura, quibus curiosos hominum animos exercet,  
atque defatigat pene: latent, nobisque aditum haud facile permit-  
tunt recessus intimiores, ampliusque terra mentus, vera illa & pro-  
pria scaturiginum receptacula. Eadem ferè de presenti negotio af-  
firmare ausim. Quamvis n. cognita habeamus actionum princi-  
pia, non unum tamen, idemque, iudicium de omnibus ferendum: sed  
alia est, quæ spontè à nobis perficitur, alia rursus, quæ inviti ali-*

quid habet admixtum. Hinc tanta est nonnullorum in iudicandis aliorum actionibus imprudentia, qui, non ponderatis probe, secumque perpensis singulis, quæ circumstant quasi eas ipsas, ad precipitem et temerariam statim prorunt sententiam, praeclarum egregiuraque facinus, vel taxando; vel sceleratum ac nefarium excusando, aut etiam approbando. Ex quibus, tum cognitionis actionum humanarum difficultas, ac gravitas: tum etiam necessitas, maximaque utilitas, quæ non per universam modò scientiam civilem, sed latius, longiusque multò sese diffundit, manifestò satis deprehenditur. Et hæc sunt, quibus potissimum motus, constitui, in materiâ hæc paululum facere operis. Licet autem ea ipsa accuratiori digna sit, et operosiori contemplatione, sit tamen aliquid prodire tenus, sufficiatque in presenti, si pro ingenii modulo, levem ac breviorẽ ejus tractationis exhibeam delineationem: in quam, ne convenienti minus, et decenti irruamus ordine, omnem discursum nostrum in duas dispescere sectiones, animus est; quarum altera principia humanarum actionum in genere sistet, altera pertractabit singula. Tu, benignissime DEUS, cui soli in intima cordium hominum scrutari licet, et cui optimè cognita sunt cogitata nostra, gratiosè cæptis hisce adesto!

## SECTIO I.

De

# PRINCIPIIS HUMANARUM ACTIONUM IN GENERE.

ARTICULUS I.

De

## QUIDDITATE.

§. I.

**N**E in ipso, quod dicitur, impingamus limine, removenda venit omnis vocabulorum ambiguitas, ut, ipsi operi immerfi, feliciter evitare possimus, quicquid falsi objiciatur nobis atque erronei. Explicandum autem ex unâ parte erit principii, ex

ex alterâ verò actionum humanarum, vocabulum. Et actiones quidem humanæ, ut ab iis ordiamur, variæ sunt. Primò enim quædam necessariæ, seu naturales sunt, quæ solius naturæ ductu, non rationis, ac voluntaris beneficio perficiuntur; & harum aliæ ab animâ vegetativâ; aliæ à sensibus externis proficiuntur. Nullo modo enim subsunt rationi ac voluntati, sed liberæ prorsus ab utriusq; imperio, suo eodemq; modo semper agunt, nisi accedat vis aliqua externa, quæ interrumpat actionem illam. Sit nobis melioris declarationis loco cibus: Hunc simul ac in corpus ingessisti, nullus voluntati tuæ amplius relinquitur locus, sed sola anima vegetativa occupatur in distribuendo nutrimento illo, nec ullo modo hos ipsos nutriendi actus moderari, vel inhibere vales, quamvis reluctetur maximè voluntas. Quod verò sensuum externorum actiones concernit, has, quatenus quoad actum primum consideramus, impedire equidem non valemus. Quotiescunq; enim admovetur oculo objectum, ritè dispositum, non potest non recipere speciem ad se delatam; nec aures possunt, quò minùs hauriant sonum, vel spurca percipiant dicteria: non tamen tanta hîc, quanta in prioribus, admittenda necessitas; siquidem oculos avertendo, auresq; obturando, actionem videndi hanc speciem, audiendi hos vel illos obscænos sermones, impedire possumus.

§. 2. Deinde actiones aliæ sunt contingentes, quæ ex impulsu voluntatis, & rationis oriuntur; cujusmodi sunt, motus localis, contemplatio veri, & actio virtutis. Et hic latius patefcere incipit voluntatis & rationis imperium. Ut enim loco moveamur, non necessitas aliqua nos impellit, cum quovis tempore motum illum intermittere possimus; sed jussu voluntatis & rationis editur à nobis actio hæc: siquidem voluntas locomotivam jubet, ut huc illucq; moveat. Ad voluntatis imperium stamus, ambulamus, manum poculis admovemus, aut retrahimus. Nec aliter sese res habet cum contemplatione intellectûs. Prout enim indoles ingenii tui fert, contemplationi indulgebis: Modò delectat, intimiùs paululùm inquirere in abdita naturæ: jam remisius succedit studium, & gaudes di-

spositiones & qualitates astrorum scrutari: mox aliò rapitur animus, & nescio, in quibus non suas experiatur vires. Usque adeò voluntas suam exserit imperium, & pro arbitrio, ac lubitu, vel inhibet, vel urget ulterius contemplationem. Virtutis deniq; actionem si examinemus, manifesta satis & hinc voluntatis vestigia deprehendimus. Tamdiu enim virtuosè agimus, quamdiu nobismet ipsis lubitum est. Avarus, licet amplis affluat divitiis, licet adsit etiam egenus maximè, implorans stipem, non tamen statim erogabit ille, sed cum Euclione Plautino, dentem sibi potius excuti, quam nummum ex arcâ moveri patietur; si verò vellet modò, posset omnino exercere liberalitatem, quippe cum hos ipsos decedere nonnunquam de ingenio videamus, ut avari antea sordidiq;, sumptuosi fiant, & prolixâ quâdam liberalitate, alios devinciant, obligentq; sibi.

§. 3. Et hæ actiones, jam recensitæ, solæ quidem humanæ nonnullis dicuntur; & actionibus hominis, quas communes cum brutis habet, contradistinguntur. Cæterum ne illas quidem omnes nostras hoc loco facimus; sed virtuosam saltem, vel eam actionem, quæ virtutis capax est. Atq; hæc exterior sit oportet, quæ ut in sensus, & publicam lucem incurrit, sic secundum eminentiam actio in civilibus appellari solet. Interiores itaq; actiones mittimus. Nam cum cæteræ ex his ipsis originem ducant, in illa inquirendo, per absurdè principiorum principia investigaremus. *Vid. Horn. Phil. Civil. p. 215.*

§. 4. Tantum de termino humanarum actionum. Offert sese jam ex alterâ parte vox principii; quâ h. l. non indigitatur (1.) ipse homo. Quamquam enim is omnium suarum actionum principium certo modo sit; eâ tamen ratione nimia hic involveretur latitudo. Et frivolæ omnino ac frustraneæ essent quæstiones, quæ in Philosophorum scholis de varietate subjectorum audiuntur, si commodè ipsi homini quocunq; pacto possent applicari omnes actiones. Sic nec (2.) principii vocabulo connotantur potentiæ naturales. Etsi enim non, nisi median- tibus naturalibus potentiis, homo suas operationes edat, quæ proinde ipsæ etiam earundem principia rectè dicuntur; tamen nobis hinc loci considerandæ haud veniunt, cum potius illas, tan-





tanquam præsuppositum aliquod, Physico relinqvamus. (3.)  
Igitur principiorum nomine nihil aliud intelligimus, quam  
requisita atq; *νεσθηα* ex actibus potentiarum naturalium or-  
ta, quibus actiones humanæ antea expositæ, dijudicantur.

## ARTICULUS II.

De

## VARIETATE.

§. 5. **E**Xpeditâ itaq; principiorum illorum quidditate, seu ef-  
fentiâ, nunc ad varietatem eorundem erit proceden-  
dum. De numero autem, quanta sit sententiarum diversitas,  
quanta Autorum dissensio, nobis in præsentî examinandum  
non sumimus; sed animus potius est, eorum, qui in aliis rectè  
nobis præcessisse videntur, in hoc etiam negotio sequi vestigia.  
Quatuor autem potissimum statuantur principia, ad quæ sin-  
gulæ & quævis hominum actiones, velut ad stateram quandam,  
revocari possunt.

I. Nempe est Spontanæum, ubi quis sciens singula, sponte agit.

II. Electio, ubi quis deliberatò ea appetit, quæ in ipsius sunt  
potestate.

III. Consultatio, ubi quis de mediis, iisq; aptis, consultat.

IV. Voluntas, ubi quis bonum, sive reverâ illud sit tale, sive ap-  
parens, cum ratione appetit.

§. 6. Verùm negotii aliquid hic nobis facessere videntur,  
qui plura, vel pauciora volunt esse principia. Illi, præpediti  
forsitan *Aristotelis* autoritate, adjiciunt quatuor enumeratis  
principiis, unum adhuc, arbitrii nimirum libertatem, illudq;ve  
pro principio aliquo peculiari venditant: Sed aliam ita men-  
tem hi ipsi affingunt Philosopho. Dum enim ille de libertate  
arbitrii in lib. 3. cap. 5. agit, non accipit eandem pro peculiari  
principio, cæterisq; contradistincto, sed eo ipso ad oculum de-  
monstrare voluit libertatem, quâ quisq; ornatus sit, vel ad am-  
plectendam virtutem, vel ad sectanda vitia, simulq; tacitè qua-  
si taxavit erroneam ac impiam quorundam sententiâ, qui ne-  
scio quem vitiosi & depravati animi autorem laudant, cum ta-  
men in eorum potestate fuerit antea, vel virtutis studio sese  
man-

mancipare, vel ad morum perversitatem deflectere. Qui verò ex alterâ parte à nobis dissentiunt, voluntatem pro peculiari aliquo principio haberi nequaquam admittunt, sed complecti in se Spontaneum asserunt, quicquid aliàs voluntati attribuitur. Sed hi, quæso, voluptuosorum ac incontinentium aspiciant actiones, & palam fateri necesse habebunt, accidere sæpe in illis, ut hellentur strenuè, & nimium quantum indulgeant voluptatibus; nihilominus tamen actionem ejusmodi absolute voluntariam dici haud posse, cum manifestò pateat, longè aliud svadere voluntatem, & reluctando, atq; reclamando, impedire nonnunquam, quò minus litent amplius fœdæ luxuriæ ac voluptati. Et hinc minùs rectè Spontaneum & Voluntas pro uno, eodemq; principio à nonnullis habetur, quia utriusq; differentia à se invicem non modò ex causâ prædictâ: sed aliis etiam sat est dilucida, id quod in reliquis pariter principiis fieri videmus, ubi semper unum ab altero distinguitur, licet non ex omni parte, attamen ut commune quid à minus communi. Et huic sententiæ nostræ assensorem laudamus *Pl. Reverend. & Excell. Dn. D. Wendlerum Phil. Pract. Sect. 2. c. 2. p. 173.* ubi similiter pro numero quaternario nobiscum facit, simulq; ostendit unius principii ab altero differentiam, feliciter refellens, quicquid falsi hæc in parte ab aliis fuerit pronunciatum.

## SECTIONIS II.

### ARTICULUS I.

De

## SPONTANEO.

§. 7. **P**ostulat jam ordinis ratio, ut aggrediamur singula in specie, de quibus hætenus præfati sumus, atq; in antecessum tantùm monuimus quædam. Primùm autem sese considerandum sistit spontaneum, cujus ante omnia evolvenda erit acceptionis diversitas, quam ipse *Aristoteles l. 3. c. 4.* suggerere nobis videtur, dum spontaneas actiones illas quoq; dicit, quas pueri, bestiaq; edunt: Hæ verò, quòd planè cum nostro non coincidunt Spontaneo, demonstratu perquam facilè erit. Et

pue-

puerorum actiones quod attinet, statim hic ingens apparet defectus requisitorum, quæ necessario adesse debent, adeo, ut si desit unum illorum, expiret simul actio spontanea. Non enim sufficit, ut quid spontè agatur, sed necesse etiam est, ut agens singulas sciat circumstantias, quod tamen de pueris frustra quis sibi promitteret, cum ob nondum confirmatum iudicium destituantur prorsus scientiâ illâ, quâ instructus esse debet, qui spontè agere nobis dicitur. Hinc immunes etiam pueri pronunciantur, à severiori iudicum sententiâ, si gravius quid perpetrârunt, quod capite, aut alio supplicii genere aliàs esset luendum. Cùm itaq; puerorum actiones spontaneæ dici haud mereantur, absurdum foret, si de bestiis illud quis prædicare audeat, ut quæ rationis expertes, parùm curant, quid in hâc vel illâ actione sit attendendum. Petit quidem spontè bos pabulum, sed efflagitante, ac instigante fame: pariter aves & quævis bruta alia spontè agunt, cum ad eiusmodi actiones à nemine impelli videantur, sed eo sensu, quem nos intendimus, spontaneum non competet brutis, nisi impropriè quis loqui amaret.

§. 8. Ut verò faciliùs innotescat, quæ hic intellectum velimus spontaneum, lubet statim ejus subjungere descriptionem. Est autem spontaneum, cujus principium est in ipso agente, sciente singulas actionis circumstantias.

§. 9. Hic altiùs paululùm repetere operæ pretium erit, quæ circa hanc ipsam definitionem annotari aliàs atq; observari solent, bina nempe illa insignia, seu characteres, manifestò semper actionem spontaneam arguentes, Scientia, quæ etiam in scholis Philosophorum Conscientia appellari gaudet, & Appetitus deinde, principium illud intrinsicum. Neutrum horum abesse potest, neq; unum sine altero facere aliquid valet ad actionem spontaneam, sed utrorumq; hic requiritur opera. Et primò quidem in actione spontaneâ Conscientia ut consulatur, necesse est. Nam hæc instar statuæ cujusdam Mercurialis est, digito quasi monstrantis, quâ viâ tutius eundem, quid legi naturæ divinæq; sit consentaneum, quid eidem dissentaneum, quid utraq; facere permittat, quid contra patrare interdicit nobis. Quo ipso tamen non derogatum aliquid volo sufficien-

tiarum illarum legum, ac si illarum externo quodam additamento essent supplendæ, cum & divina ad spirituales hominum actiones dirigendas, & naturæ lex ad bene gubernandam Rempubl. moresq; hominum moraliter informandos, digna satis sit, atque sufficiens; sed illud tantum asserimus, quod nimirum, interveniente demum legum illarum cognitione, homo vel bene, vel malè sponte agere dicatur. Aliàs quamdiu ignoratur adhuc, quid velint sibi leges, quid præstari exigant, nec præmium obtemperantibus, nec pœna expectanda erit easdem transgredientibus.

§. 10. Verum nondum absolute sponte agere dicendus ille est, qui cognitum saltim habet, quid prædictis legibus conveniat, quid contra istis adversetur; sed requiritur insuper, ut appetitus noster impulsu suo approbet ejusmodi actionem, eamq; vel exsequatur, si è re tuâ futuram esse judices, vel fugiat, si malum quoddam forsan ab eadem impendere tibi videatur.

§. 11. Et his spontanei natura, ejusdemq; requisita breviter fuerunt declarata. Nunc abs re factum haud erit, si ulterius operi huic insistentes, jungamus invitum, quippe quod destruere aliàs actionem spontaneam solet atq; evertere, ut ita, contraria sibi invicem opponendo, genuina utriusq; indoles pateat plenius. Duas autem inviti vult esse species *Aristoteles*, alteram violentam vocat; alteram ex ignorantia oriri asserit. Sicut verò quævis actio spontanea certa quædam præ se ferebat insignia, Appetitum nimirum, & Scientiam, quæ si aderant, dicebatur hic vel ille sponte egisse: Ita contra hic voluntatis & scientiæ absentia arguit actionem verè invitam. Si enim non consentiente voluntate nostrâ, ad agendum aliquid impellimur, actio oritur violenta: Si verò, non cognitis circumstantiis, nec perceptâ legum notitiâ, aliquid agimus, actio provenit invita per ignorantiam.

§. 12. Nos, pro instituti nostri ratione, in præsentibus de singulis, quæ observari aliàs circa actiones invitas solent, breviter differemus. Et (1.) quidem violentum quod attinet, ejusdem definitionem statim audiamus, utpote quæ copiosam satis ulterius de hoc negotio disquirendi nobis suppeditabit materiam.

riam. Dicitur autem Violentum, cujus principium est extra agentem, adeò, ut is, qui agit, planè nihil adjumenti ad illam actionem conferat. Huic definitioni resolvendæ operæ multum impendendum esse haud censemus, cum ipse Philosophus non id semper intenderit, ut verè rem aliquam definiant, sed describant modò ejusmodi verba: unicum tamen hoc in loco moneri visum fuit, quòd nimirum illud  $\tau\delta$  conferre ad actionem, non intelligatur pro eo tantum, quod fiat per actionem, sed etiam passionem, h. e. ut is, cui vis fit, nec unà agendo adjuvet, nec voluntatem patiendi afferat. *Horn. Phil. Mor. l. 3. c. 4. n. 11.* Id quod etiam ex variis locis, in *Aristotele* passim occurrentibus, manifestò apparet, ubi eadem Violento attribuuntur.

§. 13. Sed ad rem ipsam ut deveniamus, initiò statim disquirendum erit, quænam prærequirantur, si inviti aliquid suscepisse dici velimus. Est igitur verus quasi omnis violenti fons, causa s. principium externum, quod si rectè comparatum non esse deprehendis, cadet extemplò actio violenta. Non enim sufficit, quòd principium illud extra nos, quibus vis infertur, positum sit, nec aliunde forsan deveniat: sed necesse quoque est, sicut modò diximus, ut is, qui agit, vel patitur, nihil operæ, nec consensum etiam conferat, imò ut potius, quantum in se est, impedire allaboret ejusmodi actionem. Aliàs nefariis & sceleratis hominibus fenestra quasi aperiretur, ad turpia quælibet perpetranda facinora, si impunes statim dimitterentur, quoties causam aliquam externam prætenderent, quâ ad aggrediendum illud fuissent impulsæ, si quidem hoc pacto omnes actiones inordinatæ ac intemperantes violentæ appellandæ veniant. Libidinosus, dubio procul, objecti accusaret elegantiam, quâ inflammatus, sibi ipsi postea imperare non valuisset: adde, quòd ejusmodi vetitos amores semper subsequatur voluptas: contra verò violentæ actionis argumentum est dolor. Quamvis itaque nequaquam diffiteamur, concurrere hic causam externam, & sat etiam moventem, tanta tamen est, cui voluntas, si modò ad impulsum & motum illum consensum non contulerit, resistere omnino adhuc potuisset. Deinde requiritur, ut principium externum validum sit ad producendam actionem

violenta, imò fortius adhuc ipso agente vel patiente, omnem-  
q̄ ve his. ipsis renitendi præcludat vim. Qualis matronarum  
jam & virginum captivarum status est, quæ impurissimis inma-  
nissimorum Turcarum & Tartarorum libidinibus scædè corpo-  
ra sua polluere coguntur, & si vel maximè totis contra nitantur  
viribus, cedere tamen necesse habent causæ illi externæ, & ad-  
mittere tandem amplexus ejusmodi, minus jucundos atq; gra-  
tos sibi existentes. Tertio deniq; exprimitur in descriptione  
Violenti, quòd respiciendum etiam sit in actione violentâ ad i-  
psos agentes, vel patientes, utrum hi ad producendam actio-  
nem, vel passionem aliquid voluntatis aut operæ contulerint.  
Si itaq; non consentiendo, non media aliqua suggerendo, actio-  
nem illam promoverit agens, sed potius reluctando, & in ipso  
actu assidue reclamando, impedire eandem fuerit conatus,  
tunc haud immeritò locum invenit actio coacta s. violenta,  
hocq; nomine omnis culpæ tales agentes, vel patientes, exper-  
tes existere, liberè pronunciamus.

§. 14. Restat nunc, de Violenti divisione ut dispiciamus,  
quòtuplicis illud generis sit: ubi ex Philosopho videmus, duas  
communiter ejus constitui species, violentum nempe merum,  
s. quòd propriè tale dicitur, propter fortiorem principii ex-  
terni vim: & deinde mixtum, s. tantum secundum quid tale.  
Prius cum supra expositum jamjam fuerit, lubentes præteri-  
mus, posterius ulteriorem indagacionem mereri videtur. Vo-  
camus autem Violentum mixtum, quòd partim per vim extrin-  
secus, partim intrinsecus per voluntatem fieri solet. Ex quâ  
descriptione statim fluit, non uno modo hæc actiones sibi  
constare, sed admixti aliquid insuper habere, cum spontanei,  
tum inviti: à quonam autem plus participant, de eo contro-  
vertitur. Sunt, qui *Aristotelis* autoritate innitentes, ad invi-  
tum inclinare prorsus asserunt actiones mixtas. Verùm Phi-  
losophi verba si rectè ponderemus, non usque quaq; horum  
sententia erit approbanda. Dum enim actiones mixtas Phi-  
losophus dicit ἀπλως invitas, intelligit objectum illarum a-  
ctionum, quatenus extra mixtionem illud consideramus: ut si  
solvenda est latroni certa quædam pecuniæ summa, invitè sanè  
ejus

ejus solutionem præstat viator: si verò vitæ periculum accedit, exspirat continuo invitum, & tunc potior erit hujus, quàm illius conservatio. Apparet itaq; sat luculenter, quòd actiones mixtæ, consideratis simul circumstantiis, & præprimis habitâ ratione finis & temporis, non invitæ adeò, quàm spontaneæ, veniant dicendæ. Et licet non tantâ quidem, quantâ in aliis actionibus, voluntas hic gaudeat libertate; attamen quia agenti datur adhuc optio, utrum vitam eligat, an bonorum jacturam, merito posteriori sententiæ nostrum addimus calculum. *Vid. Horn. l. d. Buchholz. Phil. Pract. exerc. 5. tb. 4.*

§. 15. Detectâ igitur harum actionum naturâ, necesse est, ut paucis etiam delibemus earundem differentiam; ubiprehendimus, tres commodè mixtarum actionum constitui posse species: Quartum una earum est, quæ meretur laudem; ut cum quippiam, nobis maximè molestum, vel indecorum etiam, nequitia tamen labe haud aspersum, propter magnum aliquod consequendum bonum, malumve evitandum, suscipimus. Altera est illarum, quæ aliorum incurrunt reprehensionem, quando nimirum, vel ingens aliquod committimus scelus, quod aliàs quemvis honestum dedecet prorsus, quicumq; etiam prætendatur finis. Et huc referendi illi omnes, qui, dum à morbo, planè incurabili, volunt liberari, aut infamiam evadere, aut insistentium hostium effugere truculentiam, violentas sibi ipsis inferunt manus: vel, cum non urgente necessitate quâdam, sed, exigui tantum commodi gratiâ, aliquid minus decorum agimus; in quod vile genus hominum graviter admodum *Aristoteles* invehitur: *Res turpissimas, inquit, nullius honestæ rei, aut mediocris lucri gratiâ sufferre, improbi hominis est; l. 3. Eth. c. 1.* Quale factum fuit Esavi, propter pulmentum fratri Jacobo jus primogenituræ vendentis. Tertia deniq; mixtarum actionum species est illarum, quæ non laudandæ, neq; temerè etiam sunt vituperandæ; sed quæ, rectè sese habentibus prærequisitis circumstantiis, excusationem potius merentur, atq; veniam: ut cum quis atrocissimis doloribus, aut aliis, quæ humanam ferme excedunt sortem, adactus, minus decorum quid admittit: Ita si miles, ab hoste captus, Principis sui consilia prodit, eo ipso

facto fidem quidem, juramento antea firmatam, violasse videtur, sed dum tot & tanta tormenta sustinere haud valet, expers omnino perfidiae criminis est. Non enim omnes singulari quâdam animi robore, & constantiâ æquè sunt præditi, ut pares esse queant tot ferendis malis; sed paucos reperias, qui cum *Scævola* sibi ipsis manus adurunt, paucos, qui cum *Attulo*, *Regulo* exquisitissimos tolerare valent cruciatus.

§. 16. Hæc itaq; de priori inviti specie dixisse sufficiant. Accedamus jam ad alteram, quæ ex Ignorantiâ resultat. Variè autem ignorantia distinguitur, cumq; nihil frequentius fere accidere, nilq; hominibus familiarius esse videamus, quàm ut si forsàn à recto virtutis & honestatis tramite aberraverint, ad Ignorantiam, commune quasi errantium asyllum confugiant, perpendendum nobis erit paulò penitiùs, quid de singulis statuendum. Removemus verò hic ante omnia ignorantiam, quæ est in amentibus, melancholicis, & furiosis, qui quidem etiam ignorant, quid agunt: sed illorum actiones, cum rationis usu destituantur, nequaquam humanæ dici merentur. Nec admittenda illa etiam ignorantia, quæ est puræ privationis, ubi aliquid simpliciter ignoramus, quod scire omnino possumus, & jure quoq; scire tenemur. Nam qui ignorantiam, cum poterat & debebat, non expellit animo, is per eandem ultrò agere censetur, quod per scientiam intermittere potuisset.

§. 17. Præterea distingvi solet omnis Ignorantia in illam, quæ juris est, & quæ facti. Ignorantiam juris vocant, ubi latet, quid justum, honestum, decorumq; sit, quid fugiendum, quidve sequendum; & hæc rursus non incommodè dispescitur ab *I-sendornio l. 2. Eth. Per. c. 7.* in universalem & particularem: contra universalem duplici ratione peccare possumus. Vel enim impingimus in jus naturale, vel positivum: Illius ignorantia tanta est, quæ ob admisi sceleris fœditatem indignos planè reddit delinquentes veniâ, suppliciiq; condonatione; ut si homicida excusare velit ignorantiam generalis illius præcepti juris; alterum non esse lædendum, impunè tamen nequaquam id feret; sed potius, si secundum legum rigorem foret pronuntiandum, aggravat supina & crassa ignorantia perpetratum flagitium.

Juris



Juris verò positivi ignorantia est, ubi generalis quædam Principis constitutio ignoratur. Et hæc etiam veniam haud admittit: est tamen paulò restrictior, & vim obligandi saltem habet illos, qui legis istius conditori subsunt; vel etiam, qui ad tempus mercandi, aut peregrinandi gratiâ in eâ provinciâ degunt. Huic deinde succedit illa, quam juris particularis dicunt, quâ ignoramus speciale aliquod magistratus edictum, certum duntaxat casum respiciens. Et hujusmodi ignorantia non involvit tantam, quantum in prioribus deprehendimus negligentiam, aut dolosam quandam bonarum legum transgressionem: quippe cum extraordinaria ejusmodi constitutio non ubiq; locorum promulgetur semper, ac proponatur subditis, neq; ab omnibus etiam, quibus licet innotuerit, ob sensus, & verborum, quâ sæpe est involuta, obscuritatem, æquè possit intelligi, vel omisiæ forsitan fuerint pœnarum minæ, quibus aliàs constat legi sua vis *αναγκαστική* seu coactiva. Jam ultimo loco subsequitur ignorantia facti, illi, quæ juris est, directè opposita; ubi non ignoratur, an aliquid justè, an injustè fiat; sed ubi singulares quædam circumstantiæ, in quibus omnis actionis vis potissimum consistit, ignorantur, quasq; ipse agens ante actionem prævidere aut præcavere haud potuit, licet vel maximè easdem evitare summopere fuerit annixus. Si igitur ignorantia hæc omni caret dolo, eaq; nostrâ non est accersita culpâ, & delinquentem insuper vera admisi facinoris capit pœnitudo, actio redditur omnino invita, & ob id omnes etiam, jure talem prætendentes ignorantiam, judicis effugiunt animadversionem.

## ARTICULUS II.

De

## ELECTIONE.

§. 18. **H**ucusq; de Spontaneo, ejusdemq; opposito, Invito, actum fuit: nunc ad Electionem progredimur, utpote quæ cum reliquis, amicâ quâdam conspiratione inter sese copulatis, Spontaneo suum addit robur, ut exinde virtuosî, aut vitiosî moraliter evadamus. Quò autem faciliori, ac breviori ratione hoc ipsum expediamus negotium, juvabit maximè, si  
ne-

neglectâ curiosâ, vel verborum examinatione, vel diversæ vo-  
cum acceptionis resolutione, ipsi potius rei, nostram infuma-  
mus operam. Quòd enim Electio hic non pro irâ, neq; cupi-  
ditate, neq; etiam pro opinione accipiatur, ex Philosophi defi-  
nitione satis manifestò potest declarari, cujus talem nobis insi-  
nuat: Electio est præmeditata appetitio eorum, quæ in nostrâ  
sunt potestate, & quæ à nobis fieri possunt. Hic primùm confi-  
derandum venit, cuinam actus electionis rectè attribuantur,  
utrum intellectui, an verò voluntati. Nos propriam ejus na-  
turam in voluntate quærimus, non unâ ad hanc assertionem  
persvasi ratione. Contrarios enim sibi invicem, & à nostrâ de-  
finitione prorsus alienos deprehendimus effectus intellectûs &  
electionis, quippe cum (1.) beneficio judicii intellectûs verum  
& falsum discernatur; electione contra bonum & malum. (2.)  
ab electione boni & mali dicamur, à judicio verò intellectûs  
non item. (3.) Quòd potissimum est, intellectus versatur circa  
res omnes indistinctim, tam æternas, & quæ extra potestatem  
nostram positæ sunt; quàm quæ à nobis perfici queunt; de ele-  
ctione verò illud ipsum affirmari haud possit. Manet ergò, quòd  
vera omnino Electionis sedes in voluntate, non in intellectu sit,  
licet præcedat quidem aliquis intellectûs actus, quo monstre-  
tur voluntati bonum, quod eligendum deinde sibi sumit.

§. 19. Cùm ita hoc modo breviter sit explicatum, ad quam  
potentiam hominis Electio propriè pertineat, ordinis ratio ex-  
igere jam videtur, ut disquiramus, circa quænam versetur ele-  
ctio, & quibus modis id fiat: ubi ductu supra datæ definitionis,  
duo potissimum nobis erunt perpendenda. Quòd nempe (1.)  
Electio non versetur circa illa, quæ vires nostras planè exce-  
dunt, nec virtute, aut aliis legitimis consequi possumus mediis,  
sed circa possibilia, atq; ea, quæ comparari apta sunt, nosqve  
præstare etiam valemus. Res enim propterea sub electionem  
cedit, ut per ipsam finem nostrum consequamur. Quæ si itaq;  
impossibilis fuerit, nullâ ratione eligi potest. (2.) Quòd electio  
mediorum potius sit, quàm finis. Is enim prorsus ab electione  
excluditur, & nullus, nisi qui medi naturam induit, admitti-  
tur; siquidem in nostrâ potestate haud est, ut finem, actionibus  
inten-

intentum, semper consequamur. Ita nemo divitias eligit, sed media, quibus rem parare posse arbitratur. Pariter agrotus de sanitate electionem sanè non instituit, sed de mediis tantum, quibus morbi violentiam reprimat, pristinamque recuperet valetudinem.

§. 20. Cæterum, cognito sic Electionis objecto, notanda quoque venit ejusdem à Spontaneo differentia. Non planè enim unum & idem quid cum Spontaneo Electionem esse credas: sed insignis inter utriusque naturam intercedit diversitas. Et Spontaneum quidem tam latè sese extendit, ut brutorum & puerorum etiam actiones ad illud certâ ratione possint referri; cum Electione verò res longè aliter est comparata. Hæc n. in nullos alios, nisi rationis & iudicii dexteritate præditos, cadit. Et licet bruta aliquid præ aliquo prosequantur, vel fugiant magis, & ita electio quodammodo ipsis competere videatur: Solo tamen naturæ & sensû ductu ad id feruntur, non Electione animi, cuius solius beneficio, rebus primùm inter se collatis, & quid deinde magis ex usu sit, probè ponderatis, demum hoc vel illud eligimus; id quod tamen brutis, his omnibus planè destitutis, in totum denegatur.

### ARTICULUS III.

## DE CONSULTATIONE.

§. 21. **A**nnotâsse itaque hæc de Electionis naturâ in præsentibus sufficiant; nunc aliò movendus gradus, & pauca de Consultatione erunt addenda, quippe quæ indissolubili quasi vinculo cum Electione est connexa, adeò, ut neutra sine alterâ suo constare possit valore. Antequàm autem præsens suscipiamus negotium, necesse erit, ut diluamus priùs, quæ objici nobis possint de minus convenienti Electionis & Consultationis dispositione. Præprimis verò obstare nobis videtur monitum illud *Biantis*, cum inquit: *Si quid agere instituis, lentè aggredere; in eo verò, quod semel elegeris, firmiter persiste.* Et obloqui sanè hîc viro sapienti vix audebit quispiam, cum aliud ferme statuendum ipsa ratio haud admittat. Conciliari tamen inter se facili negotio poterit sententiarum diversitas, dummodo distinguamus inter id, quod *ordine naturæ & disciplinæ* prius ponitur. Naturæ n. ordinem si respiciamus, non diffitemur, quòd præponi omninò debeat Consultatio Electioni, cum illa priùs de mediis, ad finem ducentibus, agat; hæc verò ex mediis illis, unum præ altero, quod utilissimum

C

vide-

videtur, postea eligat. Si a. ordo disciplinæ est observandus, tunc meritò prærogativâ gaudet Electio, cum proximior illa sit actioni, tanquàm fini; Consultatio contra eidem remotior.

§. 22. Nunc, hâc lite compositâ, ad rem ipsam revertimur, contemplaturi quid importet consultationis definitio. Est igitur Consultatio ratiocinatio, quâ de mediis, ad finem perveniendi aptis, deliberamus. Ubi primùm dispiciendum, in quânam animæ facultate resideat consultatio. Pertinet verò illa propriè ad intellectum, siquidem consultare nihil aliud est, quàm dispicere, quid in re aliquâ facto sit opus.

§. 23. Et hâc in parte Consultatio diversum quid habet ab Electione. Quæ diversitas tamen atq; disjunctio non durat adeò, dum mox amicè admodùm congregiuntur rursus, utraq; circa idem occupatæ objectum. Sicut n. Electio non est omnium rerum indifferenter, sed illarum tantùm, quæ in nostrâ sunt potestate, quæq; à nobis fieri possunt: Ita nec Consultatio omnium rerum est, sed (1.) agibilibus; Cum omnis consultatio præfixum finem habeat actionem, adeoq; nullâ alia, quàm quæ sub actionem cadunt, in deliberationem veniant. (2.) Illarum quoq; est, quæ ab iis, qui deliberant, fieri possunt. Ubi excluduntur omnia naturalia, utpote de quibus, humano consilio mutandis, frustrâ instituitur consultatio. (3.) Earum quæ domestica sunt, s. quæ non alienas, sed nostras propriè res concernunt. Ejusmodi n. intempestiva cur ositas procul remota atq; sejuncta esse debet à verâ consultatione, cum plerumq; fieri soleat, ut, qui aliena, & ad se nihil pertinentia curant, sua ipsa postea segniter admodùm pertractent negotia. Deniq; versatur deliberatio circa cōtingentia, vel quæ dubius & incertus nonnunquàm sequitur eventus. Si n. ad lucem omnia essent exposita, ut ex nostrâ, sat perfectâ scientiâ, certiores jamjam simus, quâ ratione, quibusq; mediis, res aliqua sit peragenda, non opus foret ulteriori deliberatione. Id quod ipsâ vi vocis facile quoq; posset evinci, cum consultare involvat semper & præsupponat casum dubium & incertum, ubi deinde, accedente consultatione, voluntas informatur, ne in eligendo aberret: sed rejiciat potius minus ad propositum facientia, & sequatur actioni inservientia.

§. 24. Expositum igitur hæcenus fuit, quænam propriè sub  
Con-

Consultationem cadant, & quæ contra ab illâ sint arcenda. Jam  
quærendum ulterius, quânam ratione ac modo institui debeat  
consultatio, quò felicem actionum nostrarum nobis promittere  
possimus exitum. Quædam a. ante Consultationem, quædam in  
Consultatione, & nonnulla post eandem ut attendamus, maximè  
est necesse. Ante consultationem quidem requiritur, ut, si arduum  
nimis est negotium, Consiliorum ac laborum adhibeamus socios,  
quorum animi candor atq; integritas, inq; rebus gerendis cir-  
cumspectio minimè vulgaris, nobis sit explorata; si quidem haud  
rarò accidere videamus, ut illorum actiones, qui, rejectis amico-  
rum sanis consiliis, propriis nimium confidunt viribus, minus se-  
cundum plerumq; fortiantur eventum. Deinde respiciendus  
semper est in consultando certus aliquis finis, ad quem, tanquam  
ad scopum, omnis collimet consultatio. Vana n. alias & vaga fo-  
ret illa deliberatio, quæ præposterè ita à nobis institueretur. Hinc  
rectè Cicerò l. 1. *Offic.* monet, *ut nil quicquam agamus, cuius non possimus*  
*causam probabilem reddere.* Si itaq; consultationi nostræ certus præ-  
fixus est finis, tum nobis etiam sufficientes suppetunt vires, ut de  
mediis porrò, quibus ad finem perveniendum, eorumq; rectò usu,  
cogitemus. Et (1.) quidem considerandum venit, utrum pauciora,  
an verò plura adhibere conducat media, quibus id, quod volu-  
mus, effectum reddere queamus. (2.) Ponderandum etiam, quo-  
modo sese habeant illa media; an nimirum honesta ea sint, an ve-  
rò turpia? an possibilia, an impossibilia? Quibus ita inter se col-  
latis, instituendus est mediorem quidam delectus, quò pauciora  
pluribus, honesta turpibus, possibilia impossibilibus, anteferan-  
tur. Alias si quodvis, omni sublato discrimine, pro vero & com-  
modo arripiamus medio, minus prosperè succedet negotium.  
Ex quo fluit illud, quòd mediis istis rite quoq; utendum, & præ-  
primis ab eo Consultatio sit auspicianda, quòd ad reliqua, feliciùs  
consequenda, nos quasi deducat. Ita Princeps, bellum susceptu-  
rus, primum omnium sollicitus sit de locupletando fisco. Belli n.  
nervus est pecunia, & sine hac nec milites conscribi, nec arma pa-  
rari possunt. Factâ igitur diuturnâ & diligentiori rei cuiusdam  
deliberatione, sedulò attendam⁹, ne vel nimium cūctando, nimi-  
umve properando, nobismetipsis defuisse, datamq; occasionem  
prætermisisse videamur. Addubitare a. quis posset, quenam ex his,



ad rem bene gerendam, via sit compendiosior. Quidam n. cum *Alexandro M.* nihil prorsus procrastinandum esse censent, utpote quo sæpius optima rei gerendæ occasio, è manibus elabatur: sed, finitâ consultatione, statim opus aggrediendum svadent. Alii verò, exemplo *Fabii* potissimum moti, detestantur improvidam atq; cœcam in agendo festinationem, cum præcipites ejusmodi impetus initiò quidem valida sint, brevi verò interjecto spacio, languescant. Optimè igitur rebus suis consulere videntur illi, qui, prout circumstantiæ exigunt, citiùs, tardiusvè operi sese accingunt, apes hâc in parte imitantes, quæ non statis diebus; sed quoties cœli commoditas invitat, suum peragunt opus.

§. 25. Ex hisce itaq; jam dictis, tum Consultationis natura, tum manifestum etiam ab utrisq; prioribus principiis discrimen fat patebit. Et cum Electione quidem ob subjectorum præprimis diversitatem, non convenire consultationem, uberiùs supra demonstratum fuit. Præterea etiam modus circa objectum diversus, diversitatem electionis & consultationis luculenter indicat. Hæc n. investigat & præparat media: Illa verò investigata & præparata apprehendit. Similiter à Spontaneo multum differt Consultatio. Nam ut de cæteris differentiæ gradibus nihil nunc dicam, appetitus actionis Spontaneæ verum est principium, adeò, ut tum ratione illius in primis, tum etiam ratione scientiæ, dicatur actio aliqua Spontanea, quippe cum ejusmodi appetitus ad agendum nos stimulet; & sensualis quidem ad id, quod sensibus gratum atq; jucundum esse videtur; rationalis verò, quod cum ratione est consentaneum. Et vel hinc apparet, quòd immane quantum distet Consultatio à Spontaneo.

#### ARTICULUS IV.

### DE VOLUNTATE.

§. 26. **D**iscussis ergò, quæ de Consultatione annotatu digna judicavimus, accessus tandem ad Voluntatem erit parandus. Ut a. in ejusdem explicatione eò feliciùs progrediamur, ambiguitatem priùs, quâ involuta est vox voluntatis, expediamus. Non n. eâ latitudine hic accipimus voluntatem, quâ illi, qui eandem brutis etiam attribuunt, confundentes planè hoc modo Spontaneum cum voluntario; ut cum bos pabulum velle atq; appetere dicitur. Nec deinde nostram facimus eam significatio-

nem,

nem, quæ aliàs in foro Philosophico recepta quidem est, ubi nimirum pro ipsâ *divina* s. facultate animæ rationalis essentiali, intellectui contradistinctâ, accipitur, & subjecti insuper sustinet vicem, in quo virtutes morales resideant. Sed & hanc, uti dixi, tanquam à nobis alienam, intactam relinquimus, illam potius acceptionem explicandam nobis sumentes, quâ ipse volendi actus, à facultate istâ oriundus, denotatur.

§. 27. Præstat nunc, ut definitionem voluntatis subjungamus, cum illa aditum quasi nobis paret ad reliqua melius explicanda. Est a. Voluntas appetitio boni, & averfatio mali cum ratione, sive id reverâ tale sit, sive apparens. Cujus definitionis facilis erit resolutio, dummodo intra justos nos contineamus limites, fugientes intricatas illas quæstiones, quæ moveri aliàs circa hanc materiam solent. Consideranda verò ante omnia erit actuum voluntatis diversitas, siquidem hujus cognitio haud parùm nobis affundet lucis. Duplicem a. actum voluntatis esse deprehendimus, unum elicitedum, alterum imperatum. Elicitedus est, quem nulla interveniente aliâ facultate, immediatè ex se ipsâ voluntas elicit, atque producit. Non n. vel potestas locomotiva, vel discursiva, vel alia quæpiam aliquid ad ejusmodi actum confert adminiculi, sed in solâ voluntatis potestate contentus, & latitans quasi, foras ab eâ educitur: Quales actus sunt *velle, nolle, eligere, &c.* Actus verò imperatus est, qui à voluntate quidem proficiscitur, ministerio tamen atque operâ inferiorum animæ facultatum producit, quod ministerium priùs à voluntate imperatur. Et hujusmodi actus sunt, loqui, ambulare, & quoscunq; modò alios facultates inferiores exequi possunt.

§. 28. Huic actuum voluntatis divisioni succedit objectum, quod vel prosecutionis est, vel persecutionis. Hoc citra controversiam est malum, illud verò bonum. Cæterùm quale bonum illud sit, de eo diversæ apud vetustiores Philosophiæ doctores circumferuntur sententiæ. *Socratici* bonum tantum verum pro voluntatis objecto habuerunt; quæ sententia tamen falsissima est, siquidem hoc pacto, quæcunq; homines improbi velint, essent vera bona dicenda, aut non essent objectum voluntatis eorum, unde sequeretur, aliquem id velle posse, quod objectum voluntatis non esset. Pariter improbanda est erronea *Academicorum* sententia,



qui in bono tantum apparente, illud ipsum constituerunt. Hæc ratione n. nihil suam naturam esset bonum, sed opinarentur saltem esse talia, quæ homo vellet. Adde, quod omni sic voluntas careret objecto, cum fieri posset, ut, quod hic approbaret, alter, tanquam malum & inutile quoddam rejiceret rursus. *Donald. Synops. Phil. Moral. l. 2. c. 5. p. 80.* Quare nos, missis horum omnium opinionibus, sanioribus potius suffragamur *Philosophis*, & cum illis verum & adæquatum Voluntatis objectum ponimus bonum, tam verum, quam apprens. Enim verò cum Voluntas omne illud appetat, quod se, sub ratione convenientiæ, sistit, atque non illud modò, quod in se bonum est, sed id etiã tale sæpe numero videatur, quod reveram malum est; fieri aliter non potest, quin objectum voluntatis etiam bonum sit apprens.

§. 29. Porro notandum, quod sub Voluntatem etiam cadere possint (1.) impossibilia, non tamen simpliciter talia, sed sub conditione, & quatenus possibilia videntur: (2.) quod circa ea quoque versetur voluntas, quæ non nostram tantum operam perficiuntur, sed quæ per alios nonnunquam fiunt. Denique etiam animadvertendum & illud, quod voluntas finium sit, non mediocum. Unde oppidò patet differentia Voluntatis ab Electione præprimis, quippe quæ illa potius desiderat, quibus ad consequendum finem opus habeamus. Appetere quidem sæpe voluntas videtur media, sed ratione planè diversã. Dum enim ferri ita dicitur in ea; facit illud ipsum, in quantum mediocum bonitatem, tanquam finem aliquem, appetit. *Arist. l. 3. c. 4.*

§. 30. Postremò subjicienda distinctio illa, quæ Voluntas alia dicitur efficax; alia inefficax, s. complacentiæ. Illa talis est, quando nempe rem non tantum secundum se, sed etiam, ut acquirendam vel faciendam, appetimus, vel amamus; & hæc nullorum, nisi possibilibus est, vel eorum etiam, quæ in se impossibilia quidem sunt, à nobis tamen habentur pro possibilibus; inefficax verò s. complacentiæ est, quæ rem quidem secundum se, sine ullâ tamen præviâ efficiendi cogitatione, appetimus, vel prosequimur. Et hujusmodi etiam est impossibilibus, quæ talia esse existimantur: ut si post flagitium commissum aliquis se non peccasse velit. Atque hæc sunt, quæ non pro materiæ quidem dignitate, sed temporis & charitæ angustia, proponenda constitui: Plura potuissent, ac debuissent etiam fortè annexi de utilissimis, maximeque jucundis illis quæstionibus sc. an voluntas determinetur ab ultimo judicio rationis practicæ, an cogi possit voluntas, & quæ sunt alia, vel solæ pagellas hæc adimpleturæ. Verum cum hinc inde apud Autores collectæ eadem, atque discussæ legantur, tum etiam hæc ratione instituti nostri transgrediamur limites, abstinendum mihi duxi à prolixiori materiæ hujus tractatione. Finem itaque huic disertationi imponimus, & quod superest,

DEO IMMORTALI  
Qui est actionum nostrarum principium  
& finis  
Immortales persolvimus gratias,



**A**ctio moralis quid sit didicisse juvabit  
Te, SENFFI, Juris cum Studio fuseris.  
Non igitur malè præmittis, quæ postulat ordo  
Præmitti Themidos templa verenda petens.

M. JOHANNES SIMON, Dresd. Coll. Phil. Adj. p. t. Decanus.

**H**æc de principiis tua Dissertatio, FILI,  
Quæ mensuranda est actio nostra, refert.

(a.) Principium JESUS Tibi sit, (b.) mensura (c.) modus q̄,  
Quicquid agis, (d.) Juri & quando dicatus eris.  
(e.) Sponte colas JESUM! (f.) quod vult, fac, (g.) atq; Tibi quod  
Vis alii faciant, hoc facias aliis.

(h.) Elige præ reliquis divini hoc nobile Juris  
Principium, glossas effuge, caute, malas.

(i.) Justitiam discas, (k.) monitus (l.) non temnere JESUM!

(m.) Sic aliis benè, sic consulis ipse Tibi. m. Sap. 8, 7. 8. 9. 10.

Paternam hanc *in ætæno* animitus vovens apposuit

M. SAMUEL Senff, Ecclesiæ Stolpensis Pastor.

(a.) Coloss. 3, 17.  
(b.) 1. Cor. 2, 20  
(c.) Job. 13, 15.  
(d.) Psal. 11, 7.  
(e.) 110, 3.  
(f.) 143, 15.  
(g.) Matth. 7, 12  
(h.) Ps. 119, 113.  
(i.) 1. Tim. 6, 11.  
2. Tim. 2, 22.  
(k.) 2. Tim. 3,  
14, 15, 16.  
& cap. 1, 5.  
(l.) 1. Cor. 16, 22.

**P**incipiis humana suis innititur arctè  
Actio, quæ TIBI nunc discutienda placent.

Insta Principiis, consulta, & elige liber,

Appete mox etiam cum ratione bonum.

Sic benè cedit opus; prudens vocitabere, SENFFI,

Virtus & ipsa Tuum Nomen ad astra feret.

Ominabar ex merito Politissimi & Eruditissimi Dn. Respondentis,  
Commensalis svavisissimi

M. MICHAEL Liebenang, Fac. Phil. Adj.

**Q**uisquis, profano jura dicere populo  
Tristesq; tollere civium discordias  
Olim laboraturus, in q̄verulum forum,  
Magno ruit fervore, posthabito tamen  
Omni Sophorum pulpito; quid garrulus  
Nisi ipse litem promovebit maximè?  
Volvenda primùm vasa sacrarum Tibi  
Legum volumina bene proponis, dies  
Noctesq; mentem, modò subactam literis,  
Amice, morum nobili scientia  
Prudentiaq; civicâ nunc preparans.  
Sic summa quondam jurium subsellia  
Et occupabis pariter ac tuebere.

Quod voveb.

P R Æ S E S.

**S**o wilstu/wehrter Freund/nun auch den deinen zeigen/  
Was Du bisher gethan / in dem Du jetzt wirst steigen  
Auff die gelehrte Bühn/und führen einen Streit  
Von aller Menschen Thun und derer Unterscheidt.  
Wohlan ich wünsche Glück/ und lobe Dein Beginnen/  
Und jedermann mit mir / daß Deine scharffe Sinnen  
Mit diesem sind bemüht: Es folget d'rauf der Ruhm/  
Der Künste wehrter Lohn/der Tugend Eigenthum.  
Fahr nur so ferner fort/ das Vaterland/ die deinen  
Erfreuen sich ob Dir/ läßt Du die Künste scheinen/  
Und gehst so ferner fort/wie Du bisher gethan/  
So bringe Dein fleißig-seyn Dich immer höher an.

Zu freundlicher Glückwünschung schrieb dieses seinem viel-  
geliebten Herren Stubengesellen und Tischgenossen

Augustus Becker.

### Sonnet.

**S**o lohn't die Tugend ab/ wenn nach dem tapffern Streitten/  
Weñ nach dem Fleiß und Schweiß uns steter Ruhm entspring't/  
Wenn unser Name denn hin durch die Wolcken dring't/  
Und sich/ vor andern / drauf vermählet mit den Zeiten/  
Die uns/auch nach dem Todt/ein Denckmahl zubereiten:  
Wenn unsrer Sinne Werck/dem Wollen nach/ gelingt/  
Und uns die Tugend selbst zu Ehren/ mit sich bringt.  
Er/der Er lachte vor den rauhen Bitterkeiten/  
Die öfters einen Sohn der Musen halten auff/  
Umb daß er nicht so bald kan flügeln seinen Lauff/  
Giebt jetzt ein Werck von Sich/das allen wohlgefället.  
Die Tugend lohn't Ihn ab/wenn Er Sich nun gesellet/  
Zur Lehr-kunst-reichen Schaar. Sein Ruhm steigt Himmel an/  
Und stirbet nimmermehr. Die Tugend hats gethan.

Das ist es/was in Eil/zu Ehren seines Hoch-werthen  
Freundes und Tischgenossens/auswürckete

Adam Heinrich von Ende/  
Eqves Misn.



OS A 1437


ULB Halle

3

003 781 852







15 30

Quod DEUS bene vertere jubeat!

EXERCITATIO MORALIS

*De*

PRINCIPIS

ACTIONUM HU-

MANARUM,

*Quam*

Supremi Numinis auspicio

*In Electorali ad Albim Academia*

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCLARISSIMI

DN. M. MICHAELIS WALTHERI,

Ampliss. Facult. Phil. Adjuncti longè

meritissimi,

*Præceptoris, Fautoris atq; Amici sui quovis*

*observantia studio devenerandi,*

publico & placido Eruditorum examini submittit

CHRISTOPHORUS LAURENTIUS *GENSS*/Dresd.

AUTOR.

In Auditorio Majori

*Ad D. Augusti horis matutinis.*

\*\*\*\*\*

WITTEBERGÆ,

Ex Offic. Typogr. MICHAELIS Wendt/

A. O. R. c15 156 LXIV.

*fl. May. B.*